



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

Epistola Cæsar is ad Marleburgum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Ad Pag. 201.

Epistola Cæsaris ad Marleburgum.

Nobilissime,
care Cognate ac Princeps!

Hos honorum titulos non sine magna animi
lætitia literis nostris præfigimus; consi-
derantes enim vetustissimam juxta ac illustrif-
simam, nobilissimamque prosapiam tuam, ac
præprimis egregia prorsus obsequia Augustæ
Domui nostræ, totique Imperio Romano præ-
stata, Te nostrorum ac Imperii Principum Albo
inserrere statuimus. Non minus æquitas,
quam tua merita a nobis exegere, ut te ad
maximam Imperii dignitatem elevaremus, si-
mulque publico testimonio coram Universo
orbe testaremur, quantum Nos, totumque
Imperium non modo Illustrissimæ Reginæ Ma-
gnæ Britanniæ, sed & Tibi debeamus, eo
potissimum nomine, quod nostris, Imperii que
rebus ob propudosam Bavari Electoris defe-
ctionem in pejora ruentibus, Majestas sua in
Bavariam, atque in Sueviam usque Te Du-
ctore validissimum exercitum submittere di-
gnata sit, cuius fortitudine res non minus
fortiter quam sapienter eo dirigebantur, ut
non modo testes publici, sed præsertim omnes
mei milites, qui præcipui erant mei fæderati,
tuarumque victiarum socii tuo imperio, tuo

confi-



consilio, ac intrepido Angli exercitus cunctorumque, qui Te Duce pugnabant, animo ac fortitudini attribuant. Victoriarum, & præcipue contra Gallos, Bavarosque Höchstädtii reportatæ gloria adeo excellens, nullique æquiparanda est, ut jure dici valeat, quod pluribus retro sæculis Francia tam immanem non sit passa cladem, proin merito Nobis polliceri possimus, noxia hostium nostrorum consilia non modo eversa esse, sed & universam Germaniam excidio suo admodum vicinam & vix non totam Europam metu liberatam esse. Speramus insuper pretiosam Christianæ Reipublicæ libertatem contra Gallorum, qui cuncta suis pedibus subjicere moluntur, violentiam ac Tyrannidem suo tempore in tuto collocandam, & quoniam nobis certo persuasum est, te sine cunctatione ad tam gloriosum opus omnes impensurum vires, nil aliud nobis superest, nisi ut ad hæc consilia prosperum auguraremur successum, palam profitentes, nullam nos prætermissuros occasionem, qua Tibi luculentiora adhuc sincerae gratitudinis nostræ testimonia, quantum in nobis erit, exhibere poterimus.



INDEX